

Q.K.
432,
27

HC
1344

EPISTOLA
 DE TITVLO
 MATRIS CASTRORVM
 QVA
 VIRO
 CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
 IO. FRIDERICO
 ECKHARDO
 SOCIETATIS LATINAE QVAE IENAE
 FLORET
 SOCIO DIGNISSIMO
 COLLATOR
 AB
 AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
 SVMMOS
 IN PHILOSOPHIA HONORES
 NOMINE
 SOCIETATIS
 GRATVLATVR
 FRID. HEVSINGER
 LAVBACENS. WETTERAVVS

IENAE LITTERIS HORNIANIS.

BIBLIOTHECA
 PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
 HALLE
 (SAALE)



THESE

MATRIS CASTORUM

VITAE

CLASSICIS AD E. DOCTISSIMO

IO. FRIDRICO

BOCKHARTO

SOUS-LEVEZ

PH.D.

SOCIO DOCTISSIMO

AMTISSIMO PHILOSOPHO

S. V. M. M. O. S.

IN PHILOSOPHIA

PH.D.

SOCIETATIS

PHIL. REYBINGER

PH.D.



UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
MAG. J. H. W. W. W.



V I R

CLARISSIME ATQVE DOCTISSIME



Si tanto splendidior, tantoque illustrior aliqua est societas, quanto maioribus ornamentis collegae ipsius florent: nostra certe summo iure laetatur, cum TE, VIR CLARISSIME, ingenii studiique praemiis ab alma Salana decoratum conspiciat. Quid enim iucundius ei accidere possit, quae, cum bonarum artium, atque elegantiorum in primis litterarum conservandarum causa instituta sit, se ab iis frequentari, gaudet, quorum industria publice sit testata? Tantum enim abest, ut ambitiosis titulis studium suum aliis commendandum, aut inani ostentatione leuem aliquam famam sibi affectandam esse putet, ut potius in eorum consociatione satis decoris & ornamenti sibi paratum esse intelligat, quos respublica singularibus honoribus indignos haud aestimat. Quid ergo non laetetur societas Latina? quae ex collatis TIBI honoribus novum sibi splendoris incrementum accessisse sentit. Quam laetitiam communi sociorum nomine TIBI testificari iussu largam scribendi materiam nomina vel potius tituli subministrant, quibus suos olim principes populus Rom. solitus fuit ornare. Sed ne immensum campum ingrediar, quod pace TVA fiat, de illa tantum appellatione MATRIS CASTRORVM, gratulaturus deseram.

Romanorum imperatores, etsi reges appellari noluerunt, dignitatem tamen & maiestatem vel regia maiorem tam cupide affectasse, quam quod maxime, nemini potest esse obsecurum. Quare, ne quid regiae deesset potestati, quae re ipsa penes eos erat, omnia summi honoris insignia vel ab aliis delata facile accipiebant, vel ipsi sibi arrogabant, quibus suam familiaeque dignitatem ornari amplificarique putabant. In his tituli erant noui quidam, quos hominum vanitas pepererat, quos & cum vxoribus communicabant. Communicabantur autem non omnes, sed quos foeminis conuenire, iudicabant. Vt vero vxoribus sua quoque & singularis esset dignitas, alia subinde inuenta sunt nomina, quibus arrogantiae blandimenta quaerentur, inter quae refertur illud MATRIS CASTRORVM. Id quidem cognomen vnum fere omnium temporum istorum honorificentissimum eae tantum Augustorum coniuges ferebant, quae maritos in castra profecutae singularem meruisse honorem videbantur. Quod, etsi expresse ab historiae augustae scriptoribus non traditur, e Spartiani tamen verbis colligitur, qui in M. Aurelio c. XXVI. *quam, ait, & secum in aestiuis habuerat, ut matrem castrorum appellaret.* MATRES igitur CASTRORVM dictae videntur exemplo imperatorum quorundam, quos PATRES CASTRORVM, PATRES EXERCITIVVM vocatos esse e numis constat apud Spanh. de V. & P. R. N. l. II. p. 451. Vt vero in Harduini sententiam concedam, qui, quantum ex ipsius verbis in hist. aug. ex numis (quae est in opusc. sel.) p. 820. colligi potest, existimare videtur, Augustas nomen hoc procuratione commeatu & cibariorum esse promeritas, a me nondum, impetrare possum; propterea quod aucupandae non referendae gratiae causa temporibus istis honores principibus conferebantur, ideoque iis non solis, quorum singularia in exercitum exstabant merita. Illud vero libenter concesserim, nomen matris castrorum ab exercitu esse impostum, quippe cuius arbitrio principes quoque parta victoria imperatores appellabantur. Ceterum nomen de quo agimus in

in Graecam linguam translatum in aereò Mamaeae ab Har-
duino l. c. prolato, reperitur, in quo. ΜΗΤΗΡ ΣΤΡΑ-
ΤΟΠΕΔΩΝ legitur. Videamus nunc quae sit forma ma-
trum castrorum in numis. In aliis stantes, in aliis sedentes
prope signa militaria terrae infixae laeuaque scipionem vel ha-
stam puram tenentes conspiciuntur. Atque haec omnibus, si
a Iulia Seueri apud Vaillant. in num. Impp. praest. t. I. p.
m. 118. disceseris, sunt communia; videamus cetera. In
numo apud Patinum in thes. num. p. 72. & in numoph.
Arschor. t. XXXXVIII. n. 20. sedens Faustina iunior laeua ha-
stam, dextra auem in globo residentem tenet; in alio vero,
cuius meminit Harduinus libro quem dixi. p. 778. cum patera
prope aram stat, quo habitu apud Pat. num. Impp. p.
287. & in thes. num. p. 184. cernitur. Age nunc diuersitatem
signorum eiusque significationem, consideremus. Phoenicem a
Faustina praeferrri, globus & radii, qui caput cingunt in ec-
typo apud Vaill. in num. imp. t. II. p. 181. produunt. Felici-
tatis, vel potius reparationis temporum signum auis haec
est, eaque, Faustina in castris degente, feliciter omnia pro-
cessisse innuit. in ea sententia est Vaill. t. II. p. 181. ut quia
numus, quem ibi explicat, post mortem Faustinae percus-
sus est, phoenicem aeternitatis consecratione datae notam
esse existimet. Me vero non mouet tanti viri auctoritas,
quod numus in Arsch. numoph. Faustina viuente signatus ea-
dem aui insignitus est. Superest corona, quam in Arschota-
no ectypò phoenix rostro gerit. Haec quin victoriae sit ar-
gumentum, nullum est dubium; cum memoria victoriae
Quadicae hoc numo, ut mihi quidem videtur, sit consecrata.
Persolui, quantum potui, vni figurae; accedo ad alteram, quae
Faustinam cum patera & ara oculis subiicit. Harduinus eam
explicaturus l. c. p. 778. *sategisse*, inquit, *Faustinam, ut mili-
tes, qui in castris erant, officia religionis obirent, seu pietatis erga
deos, hic numus docet.* Licet vero numus Iuliae Seueri apud
Vaillant. in num. imp. t. I. p. 118. in qua Pietatis habitu Iulia
mater castrorum insculpta est, cum Harduino facere videatur:

ut tamen hanc sententiam omne punctum ferre, persuadeam mihi, adduci non possum. Nam ut omittam, Faustinae non adeo religiosam fuisse, ut ad sacra peragenda milites excitaret; non ita in numo expressa sunt omnia, ut id, quod Harduinus voluit, satis apparere possit. Itaque nouae explicationi facile locus relinquatur. Eius si mihi periculum facere liceret, dicerem, patram & aram eo pertinuisse, ut diuina aliqua species matri castrorum conciliaretur. Adducor in eam opinionem, tam Faustinae, quam ceterorum imperatorum numis, in quibus principes deorum exuuiis exculti prodeunt. Quem fugit, Neronem, Antoninum, Commodum aliosque cultu non modo, sed & nominibus deorum in numis vsos? quis ignorat, Faustinae hanc nostram, ut iam alia praetermittam exempla, modo Veneris Victricis, modo Pietatis, modo Cereris, modo Vestae, modo Iunonis Lucinae, modo Dianae, modo aliarum dearum formam induisse? Cum vero ipsi dii in numis sacrificantium habitu sint caelati, quid impedit, quo minus statuamus, Faustinae in hoc numo aequae atque in aliis deas esse imitatas. Addam aliam explicationem certioribus fortasse argumentis rationibusque sustentam. Acceptimus numismatum in numis cum in vrbis, quam in coloniis & municipiis Italiae prouinciarumque signatis plurium Imperatorum sacrificantium forma imagines. Quemadmodum igitur isti imperatores vota pro salute reip. vel vrbis concipiunt (quod inscriptiones VOTA DECENN SVSC. VOTA DECENN. VOTA SVSC. RESTITVTOR VRBIS docent) ita Faustinae vota pro exercitu nuncupare, credibile fit. Quam etiam ob causam Iuliam apud Vaill. l. c. velato capite & acerram ferentem terra diis offerre arbitror. At vero, quid sacrificanti cum hasta, quam velum potius, quam arma decent. Hac impp. non modo ad bellum proficiscentes, verum etiam paludati sacrificantes utebantur, ut ex numis Seueri, Gordiani Pii, Traiani Decii, Aemiliani aliorumque apparet. Quam ob rem Faustinae hasta decoratam puto, ut eam heroidis instar in castris commorantem esse significaretur. Succurrit iam, in Patini thes. num. p. 72. & 184. tam Faustinae, quam Iuliam scipionem loco hastae nere,

nerē. Scipio iste, vel si mauiis, hasta breuis (ab hasta enim non nisi longitudine differt) qui & a diis & ab imp. gestatur, summae dignitatis insigne est. Nam olim reges hastas pro diademate habebant, quas Graeci scepra dixerunt. Nam & ab origine rerum pro diis immortalibus veteres hastas coluere: ob cuius religionis memoriam adhuc deorum simulacris hastae adduntur, ut ait Iustinus XXXXIII. 3, 3. Eundem vero scipionem inter sacrificandum quoque a principibus adhibitum fuisse numo Decii iunioris docemur Patin. in num. imp. p. 394. in quo imperator paludatus pateram & scipionem tenet. Quidni ergo sacrificanti matri castrorum conueniat? quam eadem fere insignia decent, quae Imperatorem. De numis Iuliae Seueri apud Pat. in num. imp. p. 287. & in thes. num. p. 184. idem dictum fit. Ne vero in explicandis numis longior sim, ad reliqua progrediar, & ostendam, quae Augustae matres castrorum sint appellatae. Si monumentis primorum post C. N. temporum fides habenda, existimandum erit, honorem istum ante M. Aurelium incognitum fuisse. Ante vero Faustinae iuniorem obtinuisse, ut Augustae maritos ad bellum profectos comitatae matres castrorum dicerentur e Spartiani verbis colligi posse videtur: *quam (Faustinam) & secum in aequis nauicabat, ut matrem castrorum appellaret.* Quod enim dicit, *quam secum habuerat, ut,* eo significare videtur, Antoninum superiorum Caes. exemplo uxorem tali honore auxisse. Victis autem Quadis Faustinae matrem castrorum appellatam esse, Xiphilinus perhibet, qui exposita victoria in M. Ant. philos. addit ἡ μέντοι Φαυστινῆς μήτηρ τῶν στρατοπέδων ἐπεκλήθη. Hanc secuta est Iulia Seueri, ut numi docent apud Pat. in num. imp. R. p. 287. in thes. p. 184. Vaill. in num. imp. t. I. p. 118. t. II. p. 248. & lapides apud Gruterum X. 6. XXXVIII. 3. CVIII. 8. CCLXIII. 5. CCLXV. 2. CCLXVI. 5. 9. CCLXVII. 1. MLXXXV. 9. Vailantius & Patinus Iuliam non ob eam rationem, ob quam Faustina, matrem castrorum appellatam esse putant, sed quod S. P. Q. R. ei, tanquam Faustinae filiae, eosdem honores deferret, ut Seuero gratificaretur, qui Marci filius haberi volebat. Ego vero Iuliam

AKT 1344 X 366 1125

vd 18

Iuliam pariter ab exercitu hoc nomen tulisse ac Faustinam, cum ob alias rationes, tum ob eam maxime crediderim, quod Seuerus non modo multum in armis fuit, sed etiam in castris imperator appellatus est; id quod ipsi Vaillantio non plane displicet t. II. p. 250. Obuenit post Iuliam idem honor Iuliae Mamaeae, quod cum ex numis, quorum alter Latine, alter Graece inscriptus apud Harduin. p. 820. & Vaill. t. I. p. 147. tum ex lapide apud Gruter. CCLXXI. 6. apparet. Succesit Victoria seu Victorina, quam matrem castrorum ab exercitu nuncupatam esse Pollio auctor est in Lolliani, Victorini, Tetrici iun. & ipsius vita. Adnotat quoque Casaubonus, extare hodie numos his verbis inscriptos, VICTORIA MATER CASTRORVM F. M. P. A.

Sed quid in his diu haereo? cum longe potiora supersint. Restat nimirum, vt societatis nostrae nomine, quem a philosophorum ordine consecutus es, TIBI, VIR CLARISSIME, honorem gratuler. Ea enim, vt omnibus, qui eam ornant, maxime cupit, ita TUA dignitate vehementer delectatur, cum laborum assiduitate & ingenii praestantia talem TE euasisse videat, qualem olim sperauerat. Optat eadem vt collatis idemtidem nouis ornamentis noua gratulandi materia sibi nascatur; atque ita TV intelligas quo animo in TE sit affecta, & ipsius dignitas, quam consecuta est, per TE augeatur. Ceterum vt commoda ipsius in posterum quoque curae TIBI habere velis rogat. Ego vero, quem sui ea officii interpretationem constituit, vt mihi perpetuo faueas, a TE ea, qua par est, obseruantia peto. Vale. Dabam Ienae a. d. VI. Cal. August. MDCCC XXXXVI.

1856) o (1856



Q.K.
432,
27

807
II C
1344

EPISTOLA
DE TITVLO
MATRIS CASTRORVM
QVA
VIRO
CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
IO. FRIDERICO
ECKHARDO
SOCIETATIS LATINAE QVAE IENAE

FLORET
SOCIO DIGNIS
COLLATO
AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHO
SVMMO
IN PHILOSOPHIA
NOMINE

SOCIETA
GRATVLATVR
FRID. HEVSIN
LAUBACENS. WETTERA

IENAE LITTERIS HO

